

2
sabant gratiam: ergo ut aliquid sit Sacramentum sufficit illam signare. R. Quod licet Sacramenta veteris legis carebant virtute, qua novæ legis gaudent ad causandam gratiam; illam tamen suo modo specialius aliis rebus sacris causabant: fuerunt enim a Deo instituta peculiariter ad sanctificandos homines.

5. Inq. 3. Quæ signa sunt Sacramenta? R. Sicut primo signa non *spiritualia*, quia non Angelis data sunt; sed *sensibilia* hominibus conditioni accomodata. Secundo non naturalia, ut fumus respectu ignis; sed *ex institutione divina*, & ad placitum Dei, qui utpote solus Author gratiæ valet illam medio Sacramento signare, ac producere. Tertio sunt signa stabilia, quia dantur pro aliquo integro statu. Quarto sunt signa *practica*, quia efficiunt, quod significant.

Quinto sunt *rememorativa* passionis Christi, demonstrativa gratiæ sanctificantis, & pronostica futuræ gloriæ. Unde quodcumque signum esto a Deo institutum his carens prærogativis respectivè a dignitate, & natura defuit Sacramenti; qua ratione serpens Æneus elevatus a Moyse, Manna de Cælo præstitum, & alia, quæ Judæis contingebant, non erant vera Sacramenta.

6. Inq. 4. Quæ Sacramenta novæ Legis correspondeant veteris Legis Sacramentis? R. Quatuor Legis gratiæ Sacramenta correspondent Sacramentis antiquæ Legis. Nam Circumcisioni respondet Baptismus, per quem Christo dicamur, & a Judæis, & Paganis secernimur, sicut Judæi Deo dicati per Circumcisionem a ceteris distinguebantur. Convivio Agni Paschalis respondet Eucharistia. Purificationibus antiquis Pœnitentia. Consecrationibus denique Pontificis, veterumque Sacerdotum respondet Sacramentum Ordinis. Nullum fuit in illa lege Sacramentum respondens Confirmationi, quia hæc significat gratiæ plenitudinem, quæ tunc nondum advenerat: nec Extremæ unctioni, quæ præparat proximè ingressum ad gloriam, ad quam aditus in veteri lege non patebat; nec tandem matrimonio, solum enim contrahebatur prout erat in officium naturæ.

7. Inq. 5. In quo differant ab antiquis Sacramenta novæ legis? R. Primo differre in eo, quod hæc fuerunt instituta a Christo Domino; illa vero a Deo ante Incarnationem Verbi Divini. Secundo, quia nova

sunt tantum septem, antiqua autem erant plura. Tertio, quia nova causant gratiam *ex opere operato*; vetera autem solum *ex opere operantis*. Causare gratiam *ex opere operato* est illam causare ipsa Sacramenta media virtute ex passione Christi sibi communicata. Causare gratiam *ex opere operantis* est Deum illam producere ad præsentiam Sacramenti, vel intuitu fidei, aut meriti operantis: ita illam causabant Sacramenta antiqua ex meritis Christi venturi: nostra vero illam produciunt *ex opere operato*, hoc est, per se ipsa ex meritis passionis Christi jam peractæ: ideo illa fuisse figurativa, non autem rememorativa. Unde hæc ab illis non differunt solo externo ritu, & ceremoniâ, ut dixit Calvinus, cujus errorem proscriptis *Trid. Sess. 7. Can. 2.*

8. Inq. 6. In quo differant Sacramenta novæ Legis inter se? R. Differre in primis in suis materiis, formis, & effectibus: deinde differunt, quia quædam sunt mortuorum, ut Baptismus, & Pœnitentia: quædam vivorum, ut reliqua: quædam imprimunt Characterem, & nequeunt iterari, ut Baptismus, Confirmatio, ac Ordo, cetera illum non imprimunt, ideo iterari valet: quædam non exigunt ministrum Ordinis, ut Matrimonium, & Baptismus in casu necessitatis; reliqua illum exposcunt: quædam causant cognitionem spiritualem, ut Baptismus, & confirmatio; alia illam de jure non produciunt, licet etiam de pœnitentia quandoque de facto oriatur, ut suo loco patebit.

6. Inq. 7. Quot sint distinguenda in quolibet Sacramento? R. Tria: Nempe id quod dicitur *Sacramentum tantum: res tantum: ac res, & Sacramentum simul. Sacramentum tantum*, est quod significat, & non significatur, ut materia, & forma. *Res tantum*, quod significatur, & non significat, ut gratia. *Res, & Sacramentum simul*, est quod significat, & significatur, ut character in Sacramentis, quæ illum imprimunt. Nam prout significatur per materiam, & formam est *res*; prout autem unitum materiæ, & formæ significat gratiam, est *Sacramentum*. Hoc eodem modo est *res, & Sacramentum* in Eucharistia Corpus, & Sanguis Christi: in Pœnitentia dolor: in Extremâ unctione levamen animæ, aut hilaritas interior, & etiam quandoque

3
Cap. Unic. De spectantibus ad Sacramenta generatim.
sanitas corporis: in Matrimonio mutuus amor, ac unio indissolubilis: in omnibus gratia est *res tantum*; & materiæ, & forma *Sacramentum tantum*.

PUNCTUM II.

De Sacramentorum Auctore, numero, & necessitate.

10. Inq. 1. An omnia Sacramenta novæ Legis fuerint immediate instituta a Christo Domino? R. affirm. Ita docet *Concil. Trid. Sess. 7. can. 1.* his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Christo Domino instituta, anathema sit.* Cur vero ipse Dominus voluerit esse Author Sacramentorum? Ratio priori nulla assignari valet, nisi sua piissima voluntas. Tres autem rationes congruentiæ assignantur a D. Thom. 3. p. 2. q. 64. a 4. ad 1. & ad 3. *Prima*, ne homines in alio præter ipsum spem, aut amorem ponerent. Sicut enim ipse Dominus voluit esse Creator noster, ac Redemptor, ne scilicet amorem divideremus; hæc eadem ratione voluit etiam Sacramentorum omnium esse Institutor. Sed nec tot beneficiis naturalibus, & supernaturalibus valet, ut optat, sibi devincire hominem ingratum, qui mavult capas, & allia Ægypti, quam Manna celeste, potius cupit, ut prodigus, siliquis implere ventrem, quam Sacramentis divinis mentem. *Secunda* ratio est ne esset diversi institutores, ex quo oriretur divisio, qualis fuit apud illos, qui dicebant: *Ego sum Pauli: ego autem Apollolo: ego vero Cephæ.* 1. Cor. 1. *Tertia* ne essent plura capita in Ecclesia, si Apostoli potuissent instituire Sacramenta.

11. Objic. 1. Ex præfatis verbis Concilii solum sequitur, Christum omnia instituisse Sacramenta, sed non immediate. 2. Jacobus Apostolus fuit institutor Extremæ unctionis; nulla hujus Sacramenti fit mentio, nisi in ejus Epistola Canonica. 3. Christus non instituit librum Evangeliorum pro materiâ Diaconatus; neque verba ejus traditionis pro forma, idemque patet pro materiâ, & forma Subdiaconatus: ergo non omnia Sacramenta instituit immediate.

12. R. ad 1. Sufficenter colligi ex prædictis, & aliis verbis Concilii omnia Sacra-

3
menta fuisse a Christo instituta immediate: ita ut probabilis veritas hæc tamquam de fide sit tenenda; licet aliqui, etiam Catholici oppositum senserint. Ad 2. Dicitur, quod Jacobus Apostolus non fuit institutor Extremæ unctionis, sed primus, qui hoc Sacramentum, jam institutum, scripto promulgavit, ut docet idem *Concil. Sess. 14. cap. 1.* Ad 3. Dicimus, quod Christus quasdam materias, & formas instituit in specie, ut materias, & formas Baptismi, & Eucharistiæ, ceterorum vero materias, & formas saltem totales in genere solum determinavit. Ideo ex traditione Apostolica observatur porrectio Calicis cum vino, & patenæ cum hostia, libri Evangeliorum, & Epistolarum pro materiâ partiali Sacerdotii, Diaconatus, & Subdiaconatus in Ecclesia Latina.

13. Inq. 2. Quot sint novæ legis Sacramenta? Sunt septem, & nec plura, nec pauciora. Nempe Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extremaunctio, Ordo, & Matrimonium. Ita *Trid. Sess. 7. Can. 1.* Ratio a priori hujus numeri est voluntas Christi. Ratio congruentiæ sumitur a proportionem vite spiritualis ad corporalem. Quoniam sicut in corporalibus primo est generatio, secundo corroboratio, tertio nutritio, quarto sanatio ab ægritudine, quinto restitutio pristinæ valetudinis, sexto potestas exercendi actus, & regendi multitudinem, septimo propagatio speciei ad Reipublicæ conservationem: ita in vita spirituali requiritur generatio per Baptismum; corroboratio per Confirmationem; nutritio per Eucharistiam; sanatio per Pœnitentiam; restitutio pristinæ salutis per Extremam unctionem, quæ cularum reliquias abstergit; potestas regendi per Ordinem; & propagatio per Matrimonium. Ita D. Thom. 3. part. 2. q. 65. art. 1.

14. Veritatem septenarii numeri Sacramentorum omnes Catholici utriusque Ecclesiæ Latine, & Græcæ unanimiter amplectuntur: soli hæretici primo Lutherus, deinde Calvinus, eorumque sequaces a veritate misere recedentes non solum contra illam, sed etiam contra se ipsos perpetuo dimicant. Jam unum, jam duo, jam tria, jam plura, jam pauciora Sacramenta pro libito admittunt. Unde objicitur primo: Scripturam Sacram septenarii numeri Sacramentorum nullibi meminisse. R. Ipsos

in primis negligere, & adulterare Sacramentum ad suum placitum; in ea enim expresse fit mentio saltem de Eucharistia, & Pœnitentia, quæ tamen Sacramenta ab ipsis respuunt. Nec de ceteris Sacramentis mentionem omittit Scriptura; esto autem illam omittet, non inde sequeretur, non esse de fide prædictum numerum; plura enim, quæ ex Scripturis non constant expresse, sunt de fide, ut virginitas perpetua Beatissimæ Deiparæ. Traditio est nihil aliud queræ.

15. Objic. 2. SS. Patres duo tantum, vel pauciora septem, Sacramenta, variis in locis commemorant; alii lotionem pedum Sacramentum appellant: ergo. R. SS. Patres alicubi duo tantum designare, quia ibi de duobus tantum erat disceptatio: non enim ubique necesse illis erat de omnibus agere. Pedum autem lotionem lato modo Sacramentum vocant.

16. Inq. 3. An ad humanam salutem necessaria fuerit Sacramentorum institutio in omni lege? R. Quod licet non sint necessaria absolute, & simpliciter Sacramenta ad hominis salutem, quia poterat Deus aliis mediis, aliaque via hominem salvare; necessaria tamen fuit in omni lege eorum institutio ad melius esse, seu necessitate congruentia. Quia congruit divinæ Providentiæ, conditionique hominis, ut per corporalia, & sensibilia adducatur ad spiritualia. Unde in lege naturæ fuit aliquod Sacramentum ad peccatum originale delendum per fidem mediatoris venturi. In Lege scripta fuit Circumcisio ad eundem finem instituta cum aliis Sacramentis pro expiandis maculis legalibus. In Lege denique nova eveniente plenitudine gratiæ habemus Sacramenta, licet numero pauciora, virtute tamen majora, ac utilitate meliora, ut inquit D. August. *Cont. Faust.* 19. cap. 13. In statu innocentie nec fuerunt, nec erant necessaria Sacramenta, quæ hominem rectificarent; non enim tunc indigebat homo rectificari per aliquid corporale, aut sensibile, ut ait D. Thom. 3. p. q. 61. a. 2.

PUNCTUM III.

De Sacramentorum materia, & forma.

17. Inq. 1. Quid intelligatur in Sacramentis nomine materiæ, & formæ? R. In-

telligi partes physicas, & intrinsecas Sacramenti. Priscis temporibus donec Philosophia Peripatetica in scholas fuit invecita, nomen materiæ, & formæ non fuit usitatum, sed signo, & re sacra constare Sacramenta dicebant. Jam vero Ecclesia tam Latina, quam Græca pro clariori explanatione partium Sacramenti nomina materiæ, & formæ adoptat. Igitur Sacramenta constant ex tribus, nempe ex materia, & forma tamquam ex partibus intrinsecis, & ex intentione tamquam ex conditione sine qua non. Quod idem est: ac dicere, Sacramenta constare ex rebus tamquam ex materia, & ex verbis tamquam ex forma, & intentione. Materiæ nomine non solum res, sed etiam actiones significantur, ut Ablutio, Confessio, Unctio. Similiter nomine formæ non tantum verba, sed natus consensum exprimentes accipi possunt, ut in matrimonio contingere valet. In ceteris Sacramentis necessario necessitate Sacramenti requiruntur verba pro forma.

18. Inq. 2. Cur materia res, & verba sint forma? R. Quod sicut in omni composito forma est, quæ perficit, complet, & determinat materiam, ita in Sacramento verba, quæ determinat materiam ad significandum effectum Sacramenti, habent rationem formæ. Ut in Baptismo aqua, quæ est indifferens ad potandum, & abluendum, determinatur per verba Ministri ad abluendum peccatum originale, vel alia, si quæ sunt in baptizando. Imo ipsa ablutio exterior determinatur ad abluendum interiorem. Pariter iudicium Sacramentale, quod incipit per Confessionem pœnitentis completur, & perficitur per verba Ministri. Nec obstat dicere, quod res, & verba sunt diversi generis, ideoque non posse componere aliquid unum, uti est Sacramentum. R. enim res, & verba esse diversi generis in ratione naturæ, in ratione vero significandi conveniunt, esto semper verba perfectius, quam res significant ut ait D. Thom. 3. p. q. 60. a. ad. 2.

19. Inq. 3. Quotuplex sit materia? R. est duplex Remota, & proxima. Remota est inter quam, & formam aliquid mediat. Proxima est, inter quam, & formam nihil mediat. Unde in Baptismo aqua est materia remota, quia inter illam, & formam mediat ablutio; ipsa vero ablutio est materia proxima, quia inter illam, & formam nihil

nihil mediat. Quidam recentior dicit, materiam remotam esse illam rem sensibilem, quæ per actionem ministri applicatur suscipienti; verum hæc explicatio non adeo bene congruit materiæ remotæ Sacramenti Pœnitentiæ, ut consideranti patebit, sicut ea, quæ a nobis traditur, quæ omnibus Sacramentis optime convenit. Forma remota possunt dici certa verba proferenda a Ministro in applicatione materiæ. Forma proxima sunt ipsa verba supra materiam proximam actualiter prolata. Materiæ, & formæ Sacramentorum eleantur per quamdam virtutem supernaturalem ad producendam gratiam; in sua tamen entitate sunt naturales, excepto dolore de peccatis, qui supernaturalis debet esse.

20. Inq. 4. Quotuplex sit materia Remota? R. Est triplex: nempe certa, licita, & dubia. Materia certa est, quæ certo constat fieri validum Sacramentum. Licita, quæ valide, & licite fit Sacramentum. Dubia est de qua dubitatur, an cum ea fiat Sacramentum. Ut pro Baptismo aqua naturalis est materia valida; aqua consecrata, seu benedicta est materia licita; dubia autem est aqua naturalis ita permixta sive cum rosacea, sive aliquo liquore, ut dubitetur, an permaneat naturalis. Etiam aqua distillata est materia dubia. Peccat graviter utens in Sacramentis materia tantum valida, aut dubia extra casum necessitatis; debet enim quisque uti tantum materia licita. In casu vero necessitatis, qui utitur materia dubia debet proferre formam sub conditione. In Baptismo, & Pœnitentia necessitate urgente possumus uti materia dubia, & forma conditionali: quia sunt Sacramenta necessaria ad salutem. Etiam Extrema Unctio ministrari valet sub conditione ei, de quo prudenter dubitatur, an expiraverit, vel an habuerit usum rationis.

21. Inq. 5. An verba constitutiva formæ in Sacramentis sint tantum promissoria, seu concionalia? R. Nec sunt promissoria, ut Lutherani contendunt, neque concionalia aut excitativa, ut Calvinistæ autumant, sed sunt vere sanctificantia, consecratoria, effectoria, seu operatoria, quia divina virtute id interius operantur, quod exterius significant.

22. Inq. 6. Qualis unio adesse debeat

inter materiam, & formam, ut dicatur vere constituere Sacramentum? R. Talis unio debet esse, ut moraliter iudicetur simul coexistere. Requiritur itaque unio moralis, seu similtas sufficiens ad constituendum unum compositum morale; hæc autem unio, aut similtas non tanta exigitur in Pœnitentia, & matrimonio, quanta in aliis Sacramentis: Pœnitentia est ad modum iudicii, in quo non semper cognita causa, statim profertur sententia. Matrimonium etiam celebratur ad modum contractus, in quo putantur consensus moraliter conjungi, quando censetur moraliter perseverare. In omnibus igitur Sacramentis, licet melius sit, quod materia, & forma simul incipiant, & finiatur, tamen similtas adeo stricta non requiritur, sed sufficit, quod in Baptismo v. gr. forma incipiat, ante quam finiatur ablutio, vel viceversa.

PUNCTUM IV.

De Variatione materiæ, aut formæ

23. Inq. 1. Quotuplex sit variatio, quæ in materiis, & formis Sacramentorum evenire potest? R. est duplex, nempe substantialis, & accidentalis. Variatio substantialis tam in materia, quam in forma tunc datur, quando specie distincta subrogatur ab ea, quam Christus instituit: ut si pro aqua alter liquor in Baptismo, aut pro forma ejusdem forma alterius Sacramenti substituitur. Tunc adest variatio accidentalis quando eadem materia, & forma remanens, aliqua alteratione afficitur: ut quod aqua sit calida, vel frigida, aut forma lingua proferatur vernacula. Observa autem, quod variatio accidentalis physice in materia potest esse substantialis theologice; ut si aqua sit adeo congelata, quod ad abluendum non deserviat; quo in casu adest variatio substantialis theologica, quoadiu sic permanet. Igitur si variatio sit substantialis sive in materia, sive in forma, nullum est Sacramentum: si vero tantum sit accidentalis fit validum Sacramentum, esto illicitum plus, minusve juxta majorem, vel minorem variationem, & ejus causam.

24. Quamvis plures variationis modi tam circa materiam, quam formam recentior

seri soleant; potissimum tamen circa formam numerantur octo. 1. fit per diversum idioma. 2. per additionem alicujus verbi. 3. per verbi alicujus diminutionem. 4. per corruptionem verborum. 5. verborum transpositionem. 6. Ipsorum interpolationem. 7. Verbis synonymis, ut si pro *baptizo*, dicas, *abluo*. 8. Verbis equivocis, vel ambiguis, ut si conferas baptismum dicens: *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque*. Sed de his iterum redibit sermo quando agamus de Sacramentis in particulari. Pro omnibus autem observa quamlibet variationem alienam ab usu, & more approbatis ab Ecclesia esse culpabilem, ut dictum est.

25. Inq. 2. An Ecclesia possit mutare formaliter materias, aut formas Sacramentorum? R. negative, quia Christus non dedit ei potestatem illas mutandi formaliter, & quoad substantiam; esto quoad aliqua accidentalia circa ritus, & ceremonias ad Sacramenta solemniter ministranda disponere valeat, salva semper substantia a Christo Domino instituta, ut dicemus de ordine, & patet in matrimonio, cujus materiam, & formam variavit Ecclesia tantum materialiter, declarando consensus clandestinos non esse legitimos, nec validos.

26. Inq. 3. An forma Sacramentorum sub conditione adhibita valida sit, ac licita? R. 1. quod forma appositae sub conditione de praesenti, aut de praeterito valida est supposita existentia conditionis: ut si sacerdos ungeret infirmum sub conditione: *si vivis, & capax es*. Tunc enim supposito quod vivat, adsunt omnia requisita pro valore Sacramenti. Oppositum autem accidit quando conditio est de futuro, quae, cum non subsistat, dum adsunt materia, & forma, suspendit Sacramentum, nullumque reddit, eo quod dum ipsa advenit, jam materia, & forma non subsistunt. Unde minister adhibens in Sacramentis formam sub conditione de futuro gravissimum sacrilegium perpetraret.

27. R. 2. Quod adhibere formam sub conditione in casu necessitatis in Baptismo, Pœnitentia, & Extrema Unctione licitum est, uti jam diximus. De ceteris Sacramentis, & precipue de Pœnitentia extra articulum mortis, dissident Theologi; quidam nimis benigne; quidam plus æquo

severe loqui videntur. Ego vero neque illis, neque istis adherere vellem; existimo enim solum id licere, quando ex rationabili causa judicat prudens minister profertur esse sub conditione formam Sacramenti, quia nulla huic tunc fit injuria, & favere non parum valet proximo. Cogita Confessarium anxiatum dubio, an protulerit formam absolutionis, postquam penitens sua crimina patefecit, & recedere jam incipit; tunc utique, supposito vero dubio, illum sub conditione absolvere posse, quis inficiabitur! Nam ex una parte, minime exponitur Sacramentum nullitati, & ex alia satisfit juri, quod proximus habet ad absolutionem. Idem est, quando pueri grandiusculi ad Confessionem accedunt, & aliqua peccata fatentur, quin plene discernere valeas; an concipiant verum dolorem. Undique angeris; hinc, ne sit nulla absolutio; inde, ne injuste denegetur, quo in casu dicimus posse impertiri sub conditione. Ita Ligorio lib. 6, n. 431. & alibi.

28. Dices cum Genetto, Concina, & alibi: Christus non instituit pro Sacramentis formas conditionales, nec in prioribus Ecclesiae sæculis, nec in aliquo Concilio, aut Rituali ulla de illis fit mentio: erg. R. quod, sicut ex eo, quod Christus Dominus non instituerit formas conditionales, non deducitur, neque in casu extremæ necessitatis esse apponendas in Baptismo, & Pœnitentia; imo ex benigna interpretatione mentis Divini Institutoris, urgente necessitate, licite adhibentur: ita asserimus, posse licite apponi in aliis casibus, adstante rationabili causa. Et licet nec in primis Ecclesiae sæculis, nec in Conciliis, aut Ritualibus ulla de illis fiat mentio; in nullo pariter tempore, concilio, aut Rituali reperitur damnatus usus formæ conditionalis, adstante causa rationabili, ut advertunt Patroni hujus sententiæ apud Benedict. XIV. lib. 7. de Syn. Diœc. cap. 15. num. 6.

29. Sed improbandas censemus conditiones, quas idem sapientissimus Pontifex refert ex aliorum sententia ibidem num. 3. nempe: *te absolvo, si habeo potestatem absolvendi: vel si tu es vere penitens*; quia in primis dubitans de sua potestate, solum in casu urgentis necessitatis potest absolvere. Deinde secunda conditio est nimis universalis; unde adversarii eruerent

ten-

tendent laxitatem dispensandi omnibus accedentibus indiscriminatim beneficium absolutionis sub conditione quod sint dispositi. Hoc est paradoxum, a quibusdam voluntarie excogitatum. Non enim astruitur, dandam esse absolutionem sub conditione indiscriminatim, sed certis casibus, in quibus vix aliter Confessarius valet se ab angustia, & perplexitate liberare. Et quidem circa pueros, si teneriores sint, absque absolutione dimittantur; si vero grandiores, caute est procedendum. Ob hanc rationem, seu difficultatem concipiendi verum dolorem, dico alibi, facilius, vel saltem non difficilius admitti posse pueros ad communionem annualem, quam ad Confessionem. Vid. Tract. 35. n. 49.

PUNCTUM V.

De Sacramentorum Ministro.

30. Inq. 1. Quis sit Minister Sacramentorum? R. quod alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius*. Minister extraordinarius, non ex Christi institutione, sed de potentia Dei absoluta potest esse quilibet, etiam Beatus, sive homo, sive Angelus: quia Deus valet effectus Sacramentorum sine Sacramentis, prout voluerit, conferre: erg. potest etiam uti instrumento, quod sibi placuerit ad ipsos effectus producendos. Unde si Angeli boni, aut alius Beatus ali- quod Sacramentum perficeret, seu ministraret, ratum esset habendum, secus, si dæmon illud exhiberet. Ita D. Thom. 3. p. q. 64. a. 7.

31. Minister ordinarius, ex Christi institutione, est solus viator, sed non omnis; alius enim est, qui non exigit ordinem, nec deputationem peculiarem, ut pro matrimonio, & Baptismo in casu necessitatis. Alius est solemnitatis, & ex officio, in quo requiritur ordo, & peculiaris deputatio, pro ceteris Sacramentis, quæ ideo dicuntur requirere Ministrum ordinis. Matrimonium igitur, & Baptismus in casu necessitatis perfici valent a quocumque, ita ut ab hujusmodi ministerio nec femina, nec infidelis excludatur: reliqua vero Sacramenta solum a Ministris legitime ordinati confici possunt. Hoc est fidei dogma contra Lutherum, & ejus asseclas definitum a Trident. Sess. 7. can. 10.

32. Objic. omnes Christiani appellantur *regale Sacerdotium* a D. Petro *Epist. cap. 11*. erg. omnes sunt Sacerdotes, & valent omnia Sacramenta peragere. R. quod omnes Christiani dicuntur in scriptura sacra, loco laudato, & alibi, Sacerdotes lato modo, & methaphorice; nempe ad Sacrificandum Deo hostias laudis, justitiæ, orationis, & aliorum bonorum operum, quæ est prærogativa Christianæ professionis; nam extra illam, licet infideles non peccent in operibus ex se bonis, non offerunt sacrificium Deo acceptabile, aut meritum vitæ æternæ. Unde Christiani omnes vocantur Sacerdotes eodem modo, ac ibidem dicuntur lapides vivi, ac Reges ad exprimendam dignitatem, & excellentiam suæ professionis.

33. Inq. 2. Quid requiratur in Ministro ad conficienda Sacramenta? R. quod necessitate Sacramenti, hoc est ad validum, debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Christi. Necessitate præcepti, sive ad licitum debet esse in gratia, vel habere attritionem, existimata contritione, saltem pro Sacramentis, quæ petunt ministrum ordinis, excepto, pro Eucharistia conficienda, ad quam se debet præparare per confessionem, ut suo loco patebit. Intentio igitur debet esse non ludrica, aut jocosa, sed seria. Nec obsunt exempla in oppositum S. Athanasii pueri alios pueros joco baptizantis; S. Genesii, a mimo in theatro, ludrice baptizati; Dioscori similiter, & cujusdam judæi, qui ludentes, non serio, Baptismus susceperat. R. enim, vel serio, vel nullo modo fuisse baptizatos. Non enim sufficit adhibere ritus externos, si deficit in Ministro intentio faciendi Sacramentum, sive quod Ecclesia facit.

34. Objic. 2. Sacramenta sunt quædam medicinæ; sed medicinæ non pendunt ex intentione illas ministrantis: erg. nec Sacramenta. R. quod argumentum tenet utique in Eucharistia, in cujus administratione non requiritur intentio Ministri, quia non consistit in usu. In ceteris vero Sacramentis non tenet illatio: quia minister medicinæ non est ejus causa, sed solum est applicans, ideoque ejus effectus ab illius intentione non pendet. Ex opposito Minister Sacramentorum est causa effectiva instrumentalis eorum, ideo ad suum valorem determinari debent ab intentione Ministri:

nistri: non enim sunt causæ naturales ut medicinæ, sed pendentes a Ministrorum voluntate. Oppositus Lutheri error, quem subinde adoptavit Calvinus fuit proscriptus a Trident. *Sess. 7. can. 21.*

35. Inq. 3. An ad valorem Sacramenti requiratur, ut Minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana? R. neg. sufficit quod velit facere generatim, quod facit Ecclesia Christi, quamcumque ipse sive Lutheranam, sive Calvinianam, sive aliam in mente habeat: nam error privatus Ministri non officit valori Sacramenti, quoties saltem implicite intendit peragere Sacramentum. Minister quippe in conficiendis Sacramentis, non privatam, sed publicam Christi, & Ecclesie personam gerit; unde privata ejus intentio erronea opus Dei non irritat. Neque defectus probitatis, aut fidei in Ministro vel intentionis producendi effectus Sacramenti officit ejus valori: alias nullus esset baptismus collatus a judæo, Pagano, aut heretico, qui non habent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Cujus oppositum omnes Catholici unanimi assensu confitemur, & docet Trident. *Sess. 7. can. 4.*

PUNCTUM VI.

De intentione, & aliis requisitis in Ministro.

36. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit intentio? R. intentio est *volitio finis cum advertentia*. Dicit in recto actum voluntatis, connotando, seu supponendo in obliquo advertentiam ex parte intellectus. Est triplex: *Actualis, virtualis, & habitualis*. Tempore D. Thom. habitualis dicebatur, quam nunc virtualem vocamus. Intentio *actualis*, quæ pressius *formalis* dicitur, est, *volitio concomitans administrationem in Ministro, & receptionem Sacramenti in subjecto*. Ut dum Sacerdos vult consecrare, & actu de hoc cogitans consecrat. Virtualis est *volitio antecedens non distracta, sed continuata cum mediis concernentibus ad finem*. Ut Sacerdos intendens consecrare, se præparat, orat, se lavat, induit, ad Altare accedit, tamen alio distractus profert verba consecrationis; hic non habuit intentionem formalem in actu consecrationis, habuit vero virtualem ex formali

emanatam. Intentio habitualis est *volitio antecedens distracta, & non retractata, nec continuata cum mediis conducentibus ad finem*. Ut Sacerdos qui habuit intentionem celebrandi, verum se divertit ad ludum, vel ad alia negotia cum sacrificio penitus inconnexa, ita ut prudenter judicetur primam intentionem jam neque in se, neque in sua virtute, aut aliquo effectu a se relicto moraliter perseverare. Quidam ajunt intentionem habitualem esse quandam pronitatem, seu facilitatem operandi ex repetitis actibus relicta. Sed hoc non est ad rem, nec exprimit præsens assumptionem. Alii aliter explicant has tres intentiones, sed malui sic illas exponere, quia iste modus candidatis est æque clarior, ac facilior.

37. Inq. 2. Quæ ex dictis intentionibus sit necessaria pro conficiendis Sacramentis? R. quod formalis est optima, & pro viribus curanda; non tamen est necessaria: alias attenda humana fragilitate, quæ invita alio sepe distrahitur, maximæ incertitudinis, & nullitatis periculo Sacramenta exponerentur: quod credibile non est de piissimo illorum Autore. Intentio habitualis non sufficit, quia moraliter non perseverat in facto operis, nec in illud influit. Verum licet non sufficiat pro agendo: aliquando sufficit pro recipiendo Sacramento, quia plus requiritur in agente, quam in passo; in hoc enim pro baptismo, Pœnitentia, confirmatione, & extrema unctione suscipiendis sufficit intentio etiam interpretativa, quæ minime est sufficiens pro aliquo Sacramento conficiendo. Intentio quippe interpretativa dicitur *quæ neo est, nec fuit in operante, sed adesses si ejus objectum menti occurreret, & hæc illud voluntati proponeret*. Unde debilior est intentione habituali, & consequenter æque, aut magis inepta ad Sacramenta peragenda. Sola ergo intentio virtualis sufficit, ac est necessaria, quia ex una parte in ea prior intentio formalis moraliter perseverat, sive in mediis ab illa precedentibus, sive in voluntatis propensione ab eadem orta; & ex alia Minister Sacramenti operatur cum illa modo rationali, & humano.

38. Inq. 3. Quot modis possit aliquid esse necessarium? R. Tribus: nempe *necessitate mediis; necessitate Sacramenti; & necessitate præcepti*. Necessarium ne-

ces-

Cap. Unic. De spectantibus

necessitate mediis est sine quo impossibile est assequi finem, licet invincibiliter accidat illud non apponere. Ita est necessarius Baptismus in re, vel in voto ad salutem æternam. Necessarium *necessitate Sacramenti est sine quo impossibile est fieri Sacramentum, etiam si invincibiliter accidat illud omittere*. Hoc pacto sunt necessariæ materia, forma, & intentio ad faciendâ Sacramenta. Necessarium *necessitate præcepti est de quo adest præceptum ut apponatur; tamen si non apponatur fit Sacramentum*. Hoc modo est necessaria aqua consecrata, seu benedicta pro Baptismo solemnî, & gratia in Ministro illum conferente. Nam licet Donatistæ olim, ac postea Henriciani, Waldenses, Albigenes, & Wiclefistæ contenderint nullum esse Sacramentum a Ministro in lethali existente collatum; oppositum docet fides, & statuit Trid. *Sess. 7. Can. 12.*

39. Inq. 4. An pro omni Sacramento conficiendo, seu ministrando requiratur status gratiæ in Ministro? R. affirm. excepto pro Baptismo in casu necessitatis. Ita D. Thom. 3. p. 4. 64. a. 6. ad 3. dicens: *in articulo necessitatis baptizando non peccaret (Minister) in casu quo etiam laicus posset baptizare: sic enim patet, quod non exhibet se Ministrum Ecclesie, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in illis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus*. Ac si diceret, quando Minister perficit Sacramenta solemniter, & ex officio agit personam Christi, & Ecclesie, quibus conformari tenetur; ideo debet præ se ferre statum gratiæ: secus, graviter peccat irrogans gravem irreverentiam Christo, & Ecclesie, quorum personam gerit. In casu autem necessitatis ob oppositam rationem non peccat. Illationes ex hac doctrina effluentes patebunt, dum agamus de Sacramentis speciatim.

40. Inq. 5. An Minister in lethali existens debeat præcisè confiteri ad rite conficiendâ, seu ministrandâ Sacramenta? R. Quod sententia communior est negativa excipiendo Eucharistiam, quia nullum adest præceptum Divinum, aut humanum præmittendi Confessionem ad Sacramenta conficiendâ, excepta Eucharistia: ergo non adest talis obligatio saltem per se loquendo, sed sufficit, quod Minister se dis-

Tom. II.

ad Sacramenta generatim.

ponat per veram contritionem, aut attritionem existimata contritione. Verum esto hæc sententia sua non careat probabilitate, quidquid in oppositum Concilia in presenti de more clamitet; nihilominus ob difficultatem, & incertitudinem eliciendi actum perfectæ contritionis, si Minister commode possit, *convenit præmittere Confessionem*; hoc enim est medium facilius, ac certius ad recuperandam gratiam, quam actus perfectæ Contritionis. Quæ ratio me compellit ad asserendum, non solum *convenire*, ut monet Catechismus Romanus, sed quod ita fieri debeat, ut necessitas ministrandi non urgeat, adsit copia Confessarii, & ratio loci permittat, hoc est, si commode possit.

41. Inq. 6. An deneganda sint Sacramenta peccatori? R. Quod peccatori occulto publice illa petenti deneganda non sunt, sed dispensanda exemplo Christi Domini, qui Judæ Eucharistiam præbuit consuleus ejus famæ. Si autem peccator occultus occulte ea postulet, denegandâ ei sunt, nisi ejus indignitas a Ministro solum sub sigillo Confessionis sciatur, quod enim ita scit ad externam gubernationem penitus ignorat. Si peccator sit certo publicus, aut notorius, & ut talis plerumque agnitus, deneganda sunt ei Sacramenta, sive occulte, sive publice ea petat, quia non est dandum Sanctum canibus.

42. Inq. 7. An metus gravis urgens sit causa sufficiens ad simulandam Sacramentorum administrationem? R. neg. Constat ex proposit. 29. damnata ab Innocent. XI. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandâ*. Unde gravissime peccaret minister, qui etiam ex metu mortis alicui ex conducto ministraret hostiam non consecratam, vel fingeret celebrare illam elevando. Communitè autem excusatur, qui ex metu gravi injusto contrahit Matrimonium, licet nullum efficiat Sacramentum; quia deest consensus legitimus, & consequenter materia, & forma Sacramenti. Denique adverte ministrum teneri observare sacros Ritus, & cœremonias in administratione cujusque Sacramenti, prout ab Ecclesia præscribuntur, ita ut si notabiliter deliberate deficiat grave peccatum committat. Sic contra Novatores decernit Trident. *Sess. 7. Can. 13.*

B

PUN-

PUNCTUM VII.

De subjecto Sacramentorum.

43. Inq. 1. Quis sit subjectum Sacramentorum? R. Quod omnis, & solus viator; hoc est, homo vivens, sive parvulus, sive adultus, vir, aut femina, non Angelus, nec Deus. Parvuli & perpetuo amentes possunt recipere valide, & licite Baptismum. Similiter parvuli juxta prudens arbitrium Episcopi confirmationem: pariter valide, non licite, & licite conferentis, Eucharistiam, & ordinem. Infans in utero matris si sit periculum in mora, & aliquo modo ablui possit, saltem sub conditione baptizari debet. Ad validam aliorum Sacramentorum receptionem præcedere debet baptismus, cum sit janua omnium. Unde si quis non baptizatus esset in gratia per actum caritatis, aut contritionis, & sumeret Eucharistiam, nihil in eo operaretur.

44. Inq. 2. Quæ dispositio requiratur in subjecto ad recipiendam valide Sacramenta? R. Quod in parvulis aut perpetuo amantibus nulla dispositio est necessaria, ut constat, ex perpetua praxi Ecclesiæ. Parvuli enim nullis dispositionibus sunt capaces. Voluntatem autem eorum, intentionem, aut dispositionem supplet Christus, aut Ecclesia, ut tradit D. Th. 3. p. 9. 68. a. 9. Adulti debent habere intentionem formalem, virtuales, aut habituales, vel saltem interpretativam, ut valide recipiant Sacramenta; susceptio Sacramenti in adulto est actus humanus: ergo, requirit consensus. Sicut enim ex sui Providentia nullus adultus justificatur absque ejus consensu; ita ex eadem Providentia nullus adultus consecratur Sacramentis sine proprio consensu. Unde ad valorem Sacramenti non sufficit in adulto consensus negativus, seu neutralis, vel quod mere passive se habeat, excepta Eucharistia; sed requiritur consensus positivus, saltem interpretativus illud recipiendi. Hic sufficit ad baptismum, confirmationem, Pœnitentiam, extremam unctionem in casu necessitatis, ad reliqua Sacramenta requiritur consensus, seu intentio saltem virtualis.

45. Inq. 3. Quæ dispositio requiratur

in subjecto ad licitam Sacramentorum receptionem? R. sub distinctione: nam ad Sacramenta mortuorum sufficit attritio supernaturalis, quia hæc Sacramenta non supponunt ex se subjectum in gratia, sed sunt causativa primæ gratiæ. Ad Sacramenta autem vivorum requiritur status gratiæ, quia ipsa ex se causant secundam gratiam, ideoque primam jam supponunt in subjecto. An autem præcedere debeat præcise Confessio quando subjectum est in lethali, & commode possit, ex dictis de Ministro satis colligitur. Omnes conveniunt illam in dicto casu præmittendam sumptioni Eucharistiæ, & non sufficere contritionem, aut attritionem existimata contritionem. Hæc autem omnino curanda est, tam in Ministro, quam in subjecto, in lethali existente, quando non adest copia Confessarii.

46. Inq. 4. Quid sit attritio existimata Contritione, & an aliquid addat puræ Contritione? R. Attritionem existimata contritione nihil aliud esse revera, nisi ipsam attritionem supernaturalem judicatam contritionem bona fide, quo prudenter informato iudicio putat se esse in gratia; unde non peccat recipiendo Sacramenta vivorum, excepta Eucharistia, saltem quando commode nequeat confiteri. Neque aliquid addi ipsi attritioni entitative: sed tantum existimative.

47. Inq. 5. An dispositiones ad recipiendam Sacramenta sint naturales, vel potius supernaturales? Debere esse supernaturales in sua entitate: quia dispositio proxima ad formam debet esse ejusdem ordinis, ac ipsa forma, ut liquet in formis naturalibus; cum quibus quandam analogiam servant formæ supernaturales. Ex qua analogia ulterius deducitur cur subjectum debeat disponi ad Sacramenta recipiendam? Quia videlicet, sicut formæ naturales postulant congruas dispositiones ad sui receptionem, ita potiori ratione Sacramenta, & gratia illas exigunt in adultis. In his igitur non se disponere ad recipiendam Sacramenta, vel ea accipere absque congrua dispositione est peccatum sacrilegii contra illud præceptum *Sanctis Sancte sunt tractanda.*

48. Inq. 6. An sit licitum petere Sacramenta a Ministro *certe indigno*, seu lethali culpa inquinato? R. Quod in articulo

culo mortis urgente necessitate, licitum est petere, & recipere Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ a quocumque Sacerdote, etiam hæretico, aut denunciato in defectu alterius: quia in articulo mortis plus ponderat necessitas subjecti, quam improbitas Ministri, nullaque est reservatio in extrema necessitate. Sine necessitate, aut notabili utilitate non est licitum petere Sacramenta a Ministro indigno, seu existente in lethali: quia ex caritate tenemur vitare peccatum alterius, dum possumus, absque notabili detrimento. Minor causa sufficit, ut quis petat Sacramenta, ceteris paribus, a proprio Parocho, vel ejus Vicegerente, quam ab alio Sacerdote, quia ille, non iste tenetur ex officio ministrare. Pariter minor necessitas est sufficiens ad ea petenda a Ministro parato ea conferre, quam a non parato. Pro adimplendo præcepto annuali Confessionis, vel Comunions a quocumque tolerato postulari valent in defectu alterius.

49. Consulto dixi *certe indigno*, quia in dubio nullus præsumendus est malus. Unde nisi certo moraliter nobis constet de improbitate Ministri, illum bonam, ac probum præsumere debemus. Neque aliquis inquirere tenetur de probitate Ministri, imo nec potest, quia hæc diligentia non est ejus cura, nec ei commissa.

PUNCTUM VIII.

De Effectu Sacramentorum.

50. Inq. 1. Quis sit effectus Sacramentorum? R. Effectum omnibus Sacramentis communem esse gratiam sanctificantem; ita ut Sacramenta mortuorum causent ex se primam gratiam, & Sacramenta vivorum ex se producant secundam. Prima gratia dicitur, *quæ mundat animam a peccato.* Secunda appellatur *quæ auget primam.* Ulterius quodlibet Sacramentum causat specialem gratiam, vel peculiarem modum gratiæ congruum ad obtinendum finem illius Sacramenti, quod digne suscipitur. Denique, Baptismus, Confirmatio, & Ordo ultra gratiam omnibus communem, ac sibi peculiarem, causant, & imprimunt characterem. Non est de essentia Sacramenti causare actualiter gratiam; sed esse causativum gratiæ, ut patet in Sacra-

mento informi, de quo postea. 51. Inq. 2. An gratia, causata ab uno Sacramento, differat specie a gratia ab alio producta? R. Solum differre *modaliter*. & quasi *specie accidentali*: quia non datur, nisi unus specie habitus gratiæ sanctificantis substantialiter. Differunt igitur solum in quantum denotant diversa auxilia intrinseca, & probabiliter permanentia, ad finem cujusque Sacramenti consequendum per ipsa Sacramenta collata. Unde præter habitum gratiæ ab omnibus productum, Baptismus præbet subjecto auxilia, ad vitam ducendam Christiano homini congruentem: Confirmatio, ad fidem, etiam coram Tyranno profitendam; Eucharistia, ad augendam delectabiliter animæ refecionem, & profectum: Pœnitentia ad detestanda peccata, eorumque occasiones, & pericula vitanda: Extrema Unctio, ad reliquias peccati depellendas, ad fiduciam, & aliquando etiam ad corporis debilitatem roborandam: Ordo, ad ministeria sibi commissa perfectius obeunda: Matrimonium denique, ad fidem conjugalem, mutuamque dilectionem pacifice servandam, ceteraque status onera patienter sustinenda. Sacramenta causant gratiam in ultimo instanti suæ administrationis, in quo verificatur rite esse suscepta.

52. Inq. 3. Quando Sacramenta mortuorum causent secundam gratiam; vel primam Sacramenta vivorum? R. Sacramenta mortuorum causare secundam gratiam, quando jam reperiunt primam in subjecto, ut quando adultus per actum caritatis, aut contritionis justificatus, accedit ad Baptismum, seu Pœnitentiam; tunc enim hæc Sacramenta causant per accidens secundam gratiam, vel quod idem est, augent primam, qua jam ornatum reperiunt subjectum. Tunc vero Sacramenta vivorum causant *per accidens* primam gratiam, quando in lethali existens, ac putans se esse dispositum, cum revera sufficienter dispositus non sit, ad illa devote accedit cum dolore, saltem generali, ut de ita accedente ad Confirmationem, & Eucharistiam expresse tradit D. Thom. 3. p. 2. 72. a. 7. ad 2. & q. 79. a. 3.

53. Objie. Quod convenit alicui per se, semper debet ei convenire, ita ut nec per accidens illi deficiat: ergo, dum Sacramentis mortuorum conveniat per se cau-

sare primam gratiam, & vivorum Sacramentis, secundam; semper illam causare debent. R. Quod Sacramentis mortuorum, & vivorum nunquam deficit id, quod convenit ei per se; hoc autem solum est esse causativa primæ, aut secundæ gratiæ respective, quod utique semper eis convenit, esto aliquando, aut sæpe per accidens aliter contingat. Adde Sacramenta non esse entia naturalia, sed quedam composita artificialia ex institutione; quorum essentia, causalitas, & virtus unice pendet, non a metaphysica rerum exigentia, sed a voluntate Institutoris.

54. Inq. 4. An Sacramenta novæ Legis physice, vel solum moraliter causent gratiam? R. Sacramenta novæ Legis non solum moraliter, hoc est, movendo Deum ad conferendam gratiam, sed etiam physice, tanquam instrumenta, divinæ virtutis illam causare. Quia nobilior modus, ac efficacior influxus ad gratiam causandam concedi debet Sacramentis novis præ antiquis; sed antiqua habuerunt influxum tantum morale: ergo nova habent influxum etiam physicum. Adde, quod causalitas, & continentia gratiæ, quas Concilia tribuunt Sacramentis novæ Legis, melius adaptatur causæ physice, quam moralis; causa enim moralis, proprie loquendo, nec continet, nec causat effectum, sed movet alium ad illum producendum.

55. Objic. 1. Productio gratiæ est creatio juxta illud *Psalmi 50. Cor mundum crea in me Deus*, sed ad creationem nequit dari instrumentum physicum: ergo 2. Causa corporea, & sensibilis uti sunt Sacramenta nullam habent proportionem ad causandum effectum spirituale, qualis est gratia. 3. Passio Christi, in cuius virtute operantur Sacramenta, jam præcessit, & modo non existit: ergo non physice, sed tantum moraliter queunt causare gratiam.

56. R. Ad 1. Productionem gratiæ Jato modo, & moraliter dici creationem; quatenus nec fit ex meritis, quia principium meriti est ipsa gratia; nec continetur in naturali potentia creaturæ, nec produci valet principaliter ab agente creato; hoc tamen non tollit, quod instrumentaliter ab eo causari possit. Ad 2. Dicimus quod esto causa corporea nullam habeat virtutem, aut proportionem cum effectu spi-

rituali ex se, habet tamen illam ex divina ordinatione, elevatione, & virtute. Ad 3. Quod passio Domini existit virtualiter physice in vulneribus, quæ aperta adhuc perseverant ad nostram salutem; ita ut actus interni ipsius Christi sint actus prævia, quæ ex divina elevatione deseruiat ad influxum deferendum, usque ad effectum. Pro cuius luce, non statim dicitur in

57. Inq. 5. Quis sit causa principalis gratiæ? R. Quod causa physica principalis gratiæ est solus Deus, Causa moralis sunt merita Christi. Passio Christi, cum ejusdem actibus internis, est instrumentum physicum conjunctum hypostatice Divinitati; Ministri, & Sacramenta, virtute divina elevata, sunt instrumenta separata gratiæ; & denique ipsa gratia est causa formalis nostræ justificationis.

58. Inq. 6. An omnia Sacramenta conferant omnibus æqualem gratiam? R. Quantum est ex se æqualem omnibus conferre, si ex parte recipientium æqualis actus dispositio; Quia Sacramenta sunt velut causa necessarie, quæ ex se in omnibus suum effectum necessario produciunt; quod patet in parvulis, in quibus Sacramenta æqualem omnino gratiam producere nemo ambigere valet. Si diversa sit subjectorum dispositio, diversa erit majoris, aut minoris gratiæ receptio, ut liquet a paritate causarum naturalium, & colligitur ex Trid. Sess. 6. *Cæpi 7.*

59. Inq. 7. Quid sit, & quando adsit Sacramentum validum, & informe. R. Sacramentum validum, & informe esse illud, quod valide receptum, propter aliquod impedimentum, non communicat subjecto formam gratiæ, qua ratione dicitur *informe*. Unde quando apponuntur omnia requisita ad valorem Sacramenti, non vero ad gratiam, adest Sacramentum validum, & informe: ut si adultus existens in lethali accedat ad Baptismum, cum intentione illum recipiendi, sed absque attritione supernaturali; qui quidem defectus dicitur a Theologis, tum *fictio*, tum *obex gratiæ*.

60. Inq. 8. An Sacramentum validum, & informe, remoto obice, recedente fictione producat gratiam? R. Communio-rem sententiam affirmare de Sacramentis caracterem imprimentibus: quia hæc licet in se transeant, perseverant virtualiter in

effectu, a se producto, nempe caractere: ergo sublato impedimento, causant gratiam. An vero de aliis Sacramentis caracterem non imprimentibus, idem sit dicendum? Magna est concertatio inter AA. Mihi probabilior est sententia negativa propter oppositam rationem; hæc enim Sacramenta postquam in se transeunt, nullum effectum physicum, a se productum, relinquunt in peccatore: ergo neque in se, neque in aliquo effectu, a se producto, perseverant, & consequenter, dum obex tollitur, nihil conducere valent.

61. Doctrina hæc expresse traditur a D. Th. in 4. d. 4. q. 3. a. 2. q. 1. ubi affirmans de Baptismo, negat hujusmodi virtutem de Eucharistia his decretoriis verbis: *Ad tertium dicendum, quod in Eucharistia non imprimitur caracter, cujus virtute posset aliquis effectum Sacramenti percipere, fictione recedente, & ideo non est simile*. Ex quibus verbis aperte deducitur, quod in Sacramentis, caracterem non imprimentibus non remanet aliquid, cujus virtute possit quis effectum Sacramenti percipere, amota fictione; quia transeunt, & nihil relinquunt post se, vi cujus, sublato obice, possint gratiam producere. Hoc nota pro Sacramento Pœnitentiæ valido, & informi, a quibusdam asserto.

PUNCTUM IX.

De Gratia.

60. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit gratia. R. Quod gratia in communi est, quod *gratis conferitur*. Hoc modo quicumque favor, & quodlibet bonum, sponte collatum, etiam naturale, ut pulchritudo, appellatur gratia, juxta illud *Prov. ult. fallax gratia, & vana est pulchritudo*. In presenti solum est sermo de gratia supernaturali. Hæc primo dividitur in gratiam *Sanctificantem*, seu gratum facientem, & in gratias *gratis datas*. Illa datur primario ad propriam utilitatem; istæ ad utilitatem aliorum. Illa est nobilior, & perfectior istis, nihil enim istæ prosunt sine illa. Gratia gratis data est: *Qualitas supernaturalis, donata a Deo ad utilitatem aliorum*. Novem sunt gratiæ gratis datæ, nempe sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, pro-

phetia, discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum. Ita Apost. 1. ad *Corint. 12.*

63. Gratia sanctificans est *qualitas supernaturalis inherens anima, qua filii Dei nominamur & simus*. Quod sit qualitas in sensu Theologico non est de fide, licet sit probabilius. Quod sit supernaturalis, inherereat animæ, & faciat nos filios Dei adoptivos, de fide est. Recipitur in anima, quia infunditur nobis a Deo, ad dandum esse in linea supernaturali. Dividitur in gratiam sanctificantem *communem*; in gratiam sanctificantem *originalem*; & in gratiam sanctificantem *Sacramentalem*. Originalis, & Sacramentalis solum modaliter differunt a gratia communi, in quantum nimirum originalis addit quandam modum, rectificantem partem inferiorem hominis, & subordinantem eam rationi, & hanc Deo. Sacramentalis vero addit gratiæ communi quodam jus ad auxilia supernaturalia, pro melius assequendo fine ejusdemque Sacramenti. Deinde dividitur gratia in *Actualem*, & *habitualem*. *Habitualis* est ipsa gratia sanctificans. *Actualis* est motio transiens, sive auxilium supernaturale. Apud Scotistas Caritas est gratia sine ulla distinctione: Unde juxta sua principia aliter eam explicant; sed nos sequimur D. Tho. qui distinguit realiter entitative gratiam a caritate. 1. 2. q. 110. a. 3.

64. Simul cum gratia dantur virtutes infusæ, quæ ab ea physice dimanant, tanquam proprietates, esto non omnes in omni subjecto, & statu illam comitentur: ut patet in Christo, & in Beatis, in quibus nequit esse fides, nec spes; & in Angelis, qui non sunt capaces castitatis, aut temperantiæ infusæ: hoc tamen non offit nostræ assertioni, quod virtutes simul infusæ, cum gratia dimanant physice ab ea, tamquam proprietates ab essentia, ut docet D. Thom. 3. p. q. 62. a. 2. & *alibi*.

65. Inq. 2. An aliqua creatura possit producere principaliter physice gratiam? R. neg. Quia tanta est perfectio gratiæ, ut nulla creatura, neque Christus, ut homo, valeat esse ejus causa principalis physica, nisi solum Deus. Nam causa principalis physica debet esse saltem æqualis perfectionis cum effectu; nulla autem causa naturalis creata, nec creabilis est æqualis per-

perfectiōnis cum gratia. Unde gratia potest dici illud unum nobis necessarium; illa margarita pretiosa, quam, venditis omnibus, accurate comparare debemus; & illa drachma, quæ, si aliquando perditata fuit, sollicitè præ omnibus querenda est. Excepta unione hypostatice nihil nobilius, nihil perfectius dari potest homini, quam donum gratiæ. Ideo justificatio est opus majus, quam creatio Cœli, & Terræ. Et unus gradus gratiæ pretiosior est, quam totus universus. Oh! quam parum æstimatur ab homine! vid. D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. ad. 2.

66. Inq. 3. An homo viribus nature possit se disponere proxime ad gratiam. R. Pelagius cum suis sectariis affirmat: subinde Sempelagiani, & Massilienses, licet illud negent, asserunt tamen homines viribus nature se proxime disponere ad primum auxilium supernaturale. Sed veritas catholica utrumque improbat, constatque ex illo Joann. 15. ubi Christus ait: *sine me nihil potestis facere*. Si nihil, ergo nec multum, nec parum, ut egregie advertit ad eundem locum D. Augustinus. Idem sæpe docet Apostolus Paulus exclamans, quod nec cogitare valemus aliquid ad æternam salutem conducens, nisi per Christum, & ejus gratiam. Ratio id ipsum suadet: quia naturale nullam habet proportionem cum supernaturali: ergo nequit ad illud disponere proxime. Solum potest homo se disponere negative, improprie, & remote, faciendo aliqua opera naturalia moraliter bona, quibus reddatur minus ineptus ad gratiam. Proxime enim, aut positive tantum viribus gratiæ valet se ad ipsam disponere; quo pacto intelligitur illud axioma: *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam*; & eodem modo disponitur ad Sacramenta: nempe per auxilia supernaturalia, quæ Deus gratis omnibus offert, imo & confert. Nec finalis perseverantia in gratia cadit sub merito creature. Unde humiliter debemus sæpe dicere, *qui salvandos salvos gratis, salva me fons pietatis*.

67. Inq. 4. Quotplex sit auxilium supernaturale? R. Quod est duplex, *sufficiens* nempe, & *efficax*. Nam licet plura sint auxilia, quæ diversimode appellantur, ut excitans, movens, præveniens, præterminans, operans, cooperans, vel con-

comitans, subsequensque, & alia, aliis nominibus indicata; omnia tamen, vel sunt sufficientia, vel efficacica; unde divisio auxilii in sufficiens, & efficacax est adequata; & in scholis celeberrima. Auxilia, quæ dantur ad posse operari, dicuntur *sufficiens*; quæ vero conferuntur ad operari vocantur *efficacia*: illis possumus operari; istis efficaciter, esto libere, operamur. Hanc distinctionem auxilii, sive gratiæ sufficientis, & efficacis negaverit Bajus, Jansenius, Arnaldus, Calvinus, eorumque asseclæ, quorum error proscriptus fuit ab Innoc. X. & in Bulla *Unigenitus* a Clemente XI.

68. Inq. 5. Quid sit gratia ab intrinseco efficacax? R. Naturam ejus diversimode explicari a Theologis; est quippe haud facilis ejus explicatio. Sed omissis aliis modis, duo sunt celebriores in scholis. Quidam ajunt, quod gratia intrinsece efficacax nihil aliud est, quam sancta cogitatio, vel delectatio, aut caritas indeliberata, quæ suos habet gradus magis, aut minus intensos, seu efficacax. Hæc explicatio, bene intellecta, suavis, & pulchra est. Alii asserunt consistere dictam gratiam, in quadam qualitate physica viali, movente, & prædeterminante, seu applicante voluntatem creatam; ita ut media illa suaviter, & fortiter, libere, & efficaciter faciat nos Deum velle, & operari. Sed relinquendo scholasticis examen profusius hujus vere arduæ difficultatis, sufficit ad nostrum scopum credere Deum esse in linea boni primam causam, a qua omnia pendunt: si quid bonum adest in nobis, a Deo esse: Nihil meritorium vitæ æternæ posse nos facere sine gratia Dei: Deum per suam gratiam discernere bonos a malis. Hominem cum gratia efficaci libere operari, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando. Denique sufficit scire bonos ire in vitam æternam, malos mitti in ignem æternum; & quod ista distinctio procedit ex eo, *quod defectus gratiæ prima causa est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est a Deo, secundum illud Osee 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad. 2.

69. Inq. 6. An possit, quis scire se esse in gratia? R. 1. Nemo tenetur credere se esse in gratia. Lutherus, & Calvinus di-

Cap. Unic. De spectantibus ad Sacramenta generatim. 15
xerunt fideles debere sibi persuadere se esse in gratia omni formidine semota. Sed eorum errorem, ineptamque fiduciam proscriptit Trident. Sess. 6. cap. 7. & alibi.

70. Nota quod Lutherus, & Calvinus hunc suum errorem cum aliis sociant; dicunt enim quod solum est peccatum grave infidelitas, seu deficere a fide, quam ipsi adstruunt, vel potius fiagunt, cum ipsi careant voluntarie vera fide. Distingunt fidem in *historicam*, & in fidem *promissionis*. Illa est qua credimus veritates a Deo revelatas; hæc est, qua speramus a Dei misericordia remissionem peccatorum, & æternam gloriam propter merita Christi. Sed hæretici asserunt hanc fidem consistere in quadam fiducia particulari, qua credunt peccata sua esse sibi remissa independentè a propriis meritis per merita Christi. Et quia talis putatur eorum fides, dicunt credere teneri se esse in gratia, sicut tenentur credere, quod sua fides existimata tradit, & docet. Sed valde misere, cum omnes sacræ paginæ, omnia concilia, omnesque Sancti Patres oppositum unanimiter doceant.

71. R. 2. Peccator potest, & debet credere se non esse in gratia, quando actualiter peccat, vel cognoscit se esse in peccato habituali, ut de se patet. R. 3. Nemo sine speciali Dei revelatione valet scire certo se esse in gratia. Constat ex Trident. loc. cit. Et Ecclesiast. 3. ubi dicitur: *Nescit homo, utrum amore, aut odio dignus sit*. Solum probabiliter, semper cum formidine, potest justus credere se esse in gratia. Nam adhuc de peccatis propitiatas non debemus esse sine metu; & *beatus homo, qui semper est pauidus* Prov. 23. Igitur cum fiducia, & metu, spe, & timore, amore, & tremore debemus inter procellas hujus vitæ navigare, ut possimus ad portum felicitatis æternæ pervenire.

PUNCTUM X.

De Caractere.

72. Inq. 1. Quid sit caracter? R. Est signum spirituale indelebile impressum in anima. Est signum naturale Sacerdotii Christi Domini. Recipitur immediate, non in anima sicut gratia, quæ dat esse in ordine supernaturali, sed in intellectu pra-

ctico, quia caracter non dat esse, sed potestatem, sive recipiendi, sive ministrandi Sacramenta. Quoniam tria sunt caracteris præcipua munera. Primum est reddere hominem idoneum ad ministeria Christianæ vitæ, & ad suscipienda, vel peragenda ea, quæ ad cultum Divinum spectant. Secundum assimilare, & configurare eum Christo Domino æterno Sacerdoti, cujus potestatis Sacerdotalis est quædam participatio. Christus tamen non eget caractere distincto, quia est summus Sacerdos, in quo plenitudo divinitus corporaliter inhabitat. Tertium discernere baptizatos a non baptizatis, Sacerdotes a Laicis, sicut milites Regis secerantur per signa peculiaria ab aliis. Juxta communem sententiam, Sacramenta veteris legis caracterem non imprimebant; perfectio enim illum imprimendi, solum de tribus Sacramentis novæ legis adstruitur a Concilio, Patribus, & Theologis cum D. Thom. 3. p. 2. q. 63. a. 6.

73. Objic. Virtus Religionis ordinatur, ad præstandum Deo debitum cultum: sed etiam caracter datur, ad debitum Deo cultum exhibendum: erg. recipitur non in intellectu sed in voluntate sicut ipsa Religio. R. Quod munus Religionis est tribuere Deo cultum *virtuose*; munus autem caracteris illum præstare *legitime*, & *valide*: Religio inspicit cultum licitum; caracter vero cultum validum: ideo non recipitur in voluntate sicut Religio, sed in intellectu sicut fides, Ita D. Thom. 3. p. 2. q. 63. a. 4.

74. Inq. 2. An caracter sit ens rationis, denominatio extrinseca, habitus, qualitas, relatio, vel potentia? R. est potentia, tum activa, tum passiva; pertinetque ad secundam speciem qualitatis: quia caracter intransitive communicat potestatem spirituales veram, & realem: erg. intransitive est potentia, & non ens rationis, aut denominatio extrinseca, nec aliquid aliud, ut plures varie opinantur. Caracter Baptismi plus habet de potentia passiva, quam activa, datur quippe ut janua, & fundamentum ad cetera Sacramenta recipienda; esto simul sit activa pro ministeriis vitæ Christianæ obundis. Caracter confirmationis, & ordinis plus gaudet de potentia activa, quia confertur primum ad fidem propugnandam, & se-

cundus ad Sacramenta conficienda, & aliis ministranda. Habet tamen aliquid de potentia passiva respectu gratiæ Sacramentalis, & auxiliorum peculiarium.

75. Inq. 3. An caracter sit ex natura sua indelebile? R. affirmative; quia est potentia spiritualis, quæ ideo contrarium non habet sicut gratia, quæ utpote habitus per suum contrarium, nempe peccatum, destruitur. Unde permanet caracter in altera etiam vita, in Beatis ad gloriam, in reprobis ad ignominiam. Qua ratione si baptizatus resurgeret, non esset iterum baptizandus, nec Sacerdos ordinandus. Ita D. Th. ubi sup. a. 5. ad 3.

76. Inq. 4. An characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differant realiter, & essentialiter? R. affirm. : quia ordinantur ad munia formaliter diversa; potentia autem distinguuntur realiter, ac essentialiter, juxta munia, sive objecta formaliter diversa. Idem est de characteribus ordinum propter eandem rationem; omnes enim habent sua peculiaria ministeria, ad quæ per se primo diriguntur, & distinguuntur eodem modo, ac ipsi ordines.

77. Objic. 1. Diversa signa nequeunt esse in eadem parte corporis: erg. nec diversi characteres in eadem parte animæ. 2. Si quilibet ordo habet distinctum characterem, ac diversa munia, recipiens per saltum Sacerdotium, non posset exercere

munia ordinis inferioris, quod non est verum. 3. Quia unum tantum est Sacramentum Ordinis; erg. unus solus debet esse Ordinis caracter.

78. R. ad 1. neg. conseq. quia licet in eadem parte corporis nequeant dari diversa signa, seu figuræ; tamen in eadem parte animæ possunt optime esse diversæ potestates spirituales, sicut in eodem intellectu adsunt scientiæ speciem diversæ. Ad 2. quod Sacerdotio per saltum initiatus, valet exercere munia ordinis inferioris, non ex officio peculiari, sed quia ordo inferior virtualiter eminenter continetur in superiori, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno. Unde in primitiva Ecclesia suscipientes solum Præbyteratum, omnia ordinum munera exercebant. Verum, sicut Rex, esto possit idem, quod Dux, Prætor; aut Miles, convenienter assignat ista officia, & eorum peculiaria signa; ita in præsentī materia. Ad 3. dicimus, quod, sicut omnes ordines sunt unum Sacramentum unitate habitudinis unius ad alium, & omnium ad unum, eodem modo omnes characteres, esto distinguuntur, sicut ipsi Ordines, constituunt, & complent unum tantum characterem Sacerdotalem. Unde caracter non intenditur ad modum habitus, quia non habitus, sed potentia est, & reductur ad secundam speciem qualitatis, ut docet D. Th. 3. p. 2. q. 63. a. 2.

TRACTATUS VIGESIMUS TERTIUS

DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

Habita notitia de Sacramentis in genere, ad agendum singillatim de ipsis progredimur. Cum autem ceterorum janua, & fundamentum sit Baptismus, de hoc prius, quam de aliis sermonem instituiamus.

CAPUT UNICUM.

De Baptismo.

PUNCTUM I.

De nomine, natura & divisione Baptismi.

1. Inq. 1. Quod nomen sit; & quid sit

gnificet Baptismus? R. Baptismus est nomen græcum significans idem, quod latine ablutio, seu immersio in aquam. Unde quia olim per immersionem fieri solebat hoc Sacramentum, in representationem Sepulturæ Christi, appellatur Baptismus. Dicitur etiam regeneratio, lavacrum, illuminatio, indumentum, sepultura, donum, gratia, custodia, sigillum, sacramentum fidei, principium, ac janua omnium Sacramentorum.

2. Inq. 2. Quotplex sit Baptismus? R. est triplex, nempe fluminis, flaminis, & sanguinis: solum Baptismus fluminis est

Sa-

Sacramentum. Baptismus flaminis, & sanguinis, licet sacramenta non sint; habent tamen nomen Baptismi, quia suppleant ejus vices, quando Baptismus fluminis nequit suscipi: Quando autem suscipi valet, est necessarius necessitate medi in re, ita ut sine illo nemo salvari possit, ut patet ex illo Joan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire Regnum Dei, & ex Trident. sess. 7. can. 5.*

3. Inq. 3. Quid sit Sacramentum Baptismi? R. Habet duas definitiones, aliam methaphysicam, aliam physicam. Methaphysica est: *Sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino causativum gratiæ regeneratiæ.* Per hanc ultimam particulam differt Baptismus a ceteris Sacramentis, cum quibus convenit per reliquas anteriores: omnia enim instituta sunt a Christo Domino ad causandam gratiam; unumquodque autem cum suo modo peculiari. Differt etiam Baptismus a reliquis Sacramentis in eo, quod est primæ tabulæ, quia dat esse genitum in ordine supernaturali: reliqua vero sunt secundæ tabulæ, quia vel reparant genitum lapsam, ut Pœnitentia, vel illum confortant, nutriunt, & augent, ut confirmatio, Eucharistia, & cetera. Definitio physica Baptismi est: *Ablutio exterior corporis facta sub præscripta verborum forma.* Baptismus fluminis est: *Actus contritionis, vel caritatis cum voto explicito, aut implicito, recipiendi Baptismus fluminis.* Baptismus Sanguinis est: *Martyrium in odium fidei datum, & pro fide susceptum.* Martyrium autem est: *Mors, aut vulnus letale, susceptum pro fide, vel defensione alterius virtutis.*

4. Baptismus flaminis ita appellatur, quia fit peculiari impulsu Spiritus Sancti, qui flamen dicitur. Solum convenit adultis, quia consistit in actu contritionis, vel caritatis, qui a solis adultis elici valet. Baptismus Sanguinis, sicut & fluminis convenit tam adultis, quam parvulis: isti enim in odium fidei occisi, non solum gratiam, sed & martyrii palmam consequuntur, esto usu rationis careant, ut de Innocentibus ab Herode occisis propter Christum docet D. Th. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1.

5. Inq. 4. Quando debeat parvulis ministrari? R. ad 1. quod Baptismus ante Pas-

Tom. II.

ministrari Baptismus? R. ministrari eis debet, quam primum moraliter possit; tum quia infantibus nulla alia via comparandæ salutis adest, tum quia innumeris periculis in illa ætate adeo tenera sunt expositi. Unde dilatio ultra octavum diem gravis culpa, juxta probabiliorem sententiam, reputatur. Adulti etiam sub eadem culpa debent baptizari intra tempus ab Ecclesia præscriptum. Igitur, post quadraginta dierum instructionem, private baptizandi sunt, servatis solemnitatibus ad vigiliis duplicis Paschatis, vel alterius diei designati. *Vid. Synod. Diæces. lib. 12. cap. 6. n. 7.*

6. Inq. 5. Quando fuerit institutum Sacramentum Baptismi, & quando obligare cæperit? R. Institutum fuit quando Christus in Jordane a Joanne fuit baptizatus. Tunc enim suo contactu sanctificavit aquas, eisque tribuit virtutem homines regenerandi, ut dicit D. Th. 3. p. q. 62. a. 2. Verum obligare non capit lex suscipiendi Baptismus, nisi post Pentecostem, & promulgationem sufficientem Evangelii. Apostoli autem, qui ante passionem fuerunt Sacerdotio initiati, & sumperunt Eucharistiam, prius necessario debuerunt baptizari, cum sine Baptismo cætera Sacramenta nequeant recipi. Unde quidam asserunt Christum Dominum suis manibus Beatissimam Virginem ante Apostolos baptizasse: Deinde Petrum, hunc filios Zæbedei, istos subinde reliquos Apostolos, Apostolos denique alios discipulos. Quod pie credendum est, quoniam de gestis, de quibus aliud non constat, illud, quod pietati magis congruit, est tenendum. Quid autem pietati magis consonum, quam Christum suam Sanctissimam, ac dilectissimam Matrem prius omnibus baptizasse? Deinde Petrum, hunc vero alios, qui aliis idem beneficium præstarent, & sic inceperit pussillum Ecclesiæ gregem?

7. Objic. 1. Baptismus habet efficaciam a Passione Christi; erg. ante eam, neque illam habuit, nec fuit institutus. 2. forma Baptismi instituta fuit post Passionem, Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* erg. etiam Baptismus. 3. Beatissima Virgo non habuit peccatum originale, nec actuale: erg. nec recepit Baptismus.

8. R. ad 1. quod Baptismus ante Pas-

C

sio-